



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**In Vaticinia Isaiae, Prophetæ Clarissimi, Paraphrasis,
Heroico carmine conscripta**

Carpenteius, Joannes

Antverpiæ, 1588

Vaticiniorvm Isaiaë Liber Qvartvs.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68688)

8 Et cadet Assur in gladio non viri, & gladius non hominis vorabit eum, & fugiet non a facie gladij, & iuvenes eius vestigales erunt:

9 Et fortitudo eius a terrore transibit, & pauebunt fugientes principes eius: Dixit Dominus: cuius ignis est in Sion, & caminus eius in Hierusalem.

Tum cadet Assyrius non vestro casus ab ense,
Non hominum ferro, aut hasta confossus acuta,
(Non etenim illius quisquam de vulnere sese
Iactabit) cadet ille tamen, nulloque sequente
Puluerulenta fuga verret citus aquora turpi,
Lectaque de cunctis (præda pars optima) pubes
Seruitum vestris captiva vxoribus ibit.

At proceres (si quis de tot modo millibus vnus
Saluus erit) solo vitam terrore redemptam
In lucro ponent, vix se effugisse putantes.

Hæc ego, quæ canerem vobis, mihi vera Deum rex
Et rata promisit fore, maximus ille Deum rex,
Ante Sionæos cui plurima caditur ignes
Victima, cuiq; suus Solyma calet æde caminus,
Perpetuas flammæ & casta incendia seruans.

VATICINIORVM ISAIÆ

LIBER QVARTVS.



ONE modos tristes, o Calliopea sororum
Ter regina trium: satis, ab satis, horrida
bella,

Vastatas vrbes, euersaque regna, grauesq;
Seruitij nexus, tolerataque vincula duris
Longum sub dominis, tristi defleuimus ore:
Libertas tam parua venit; gaudete piorum
Felices anima, libertas aurea, Christi
Munus & æternum memoranda mihiq; tibiq;
Quisquis es à Christi qui totus numine pende s.

Cap. 32.

1 Ecce, in iustitia regnabit rex, & principes in iudicio præerunt.

Tam redeunt lætis felicia sæcula terris:
Ecce bonus magni moderandas orbis habenas
Suscipiet princeps, Rex augustissimus idem.
Hic inconcusso veri rectique tenore,
Iura suis æquata dabit, discrimine nullo:
Non illi furor indomitus, non indecor ira
Transuersam abripiet mentem, non gratia flectet,
Non pretium inuertet: leges & pacta valebunt,
Sanctaque diuersas iungent commercia gentes.
Ille & præsidibus, quos totum mittet in orbem,
Iuris dicundi formamque modumque seuerus
Præscribet, quos fas ultra aut præcedere citra
Non erit, aut dextra lauâ. ve extendere funem.

Cap. 32.

Regnum hie
Hielechiæ flo-
rentissimum
describitur,
cuius sub ty-
po adumbrat
regnum illud
cælestæ atque
diuini, nul-
lis vnquam
sæculis inte-
riturum.

Quis

Quis fortunato tam fausti principis ortu,
 Non gaudere volet? quo pax regnante beatis
 Alma reflorescet terris, discordia passas
 Diffugiet lacerata comas, orbemque relinquet.
 Quis sensus vobis, mentem qua gaudia vestram
 Tum pertentabunt, vera o pietatis amantes?

Non ita deprenso campi per nuda patentis
 Arua viatori, cum tempestate suborta,
 Precipitant imbres, densisq; nigerrimus Auster
 Nubibus obduxit calum, casa forte reperta
 Grata venit; non tam sitientibus vnda perusta
 Insperata solo saliens, non frigida saxi
 Umbra caui, tam dulce siti, tam dulce calori
 Arridet medius oblata Ammonis arenis
 Aestiferi, fuscam cancro torrente Syenem,
 Quam bonus hic terris lato datus omine princeps
 Post longas clades miserandaque funera tandem
 Opportuna ferens misero solatia mundo.

Ille salutari radiatus lumine terris
 Discutiet noctem, rectumque videre sequique
 Deteris oculis dabit, & caligine pulsa:
 Ille repurgata carumen ab aure reuellet,
 Ille auditum hebetem, tardumque ad sancta recludet
 Percipienda sacrae penitus mysteria legis.

Ille animos resides & pectora pigra mouebit,
 Ut sese attollant sensim, vanisque relictis
 Artibus, assuescant caeste capeffere dogma,
 Quo mox imbuti (dictu memorabile) blasas
 Iam tum etiam linguas in libera carmina soluent,
 Facta sui clarumque decus memorantia regis.

Tum sibi personam veterator hypocrita flebit
 Detrahier, retegique palam sua furti dolosque
 Miratus, cedit sceptris, & fascibus ultro,
 Non olim ad tales unquam reuocandus honores:

Quippe diu barba mentitus, & ore, togasq;
 Doctrinam sanam, & verae pietatis amorem,
 Venditat infulso sua somnia vana popello,
 Impostor malus, & magno temerarius ausu,
 Falli posse Deum credens, cui nulla latentis
 Non animi secreta patent, cordisque recessus,
 Lingua aliud promptum gestat, quam pectore clausum,
 Namque serenata ficta sub imagine frontis,
 Occulit egregie crudeles pectoris astus,

R 3

Et

2 Et erit vir sicut qui
 absconditur a vento,
 & celat se a tempestate,
 sicut riuus aquarum in
 siti, & umbra petrae
 prominentis in terra
 deserta.

3 Non caligabunt oculo-
 rum videntium, & aures
 audientium diligenter
 auscultabunt.

4 Et cor stultorum in-
 telliget scientiam, &
 lingua balborum ve-
 lociter loquetur &
 plane.

5 Non vocabitur vltra
 is qui insipiens est,
 princeps: neque fraudu-
 lentus appellabitur
 maior.

6 Stultus enim fatuus
 loquetur, & cor eius
 faciet iniquitatem, ut
 perficiat simulationem,
 & loquatur ad Domi-
 num fraudulenter, &
 vacua faciat animam
 esurientis, & potum
 sitienti auferat.

Pharisaei &
 hypocritae.

Et pacem vultu simulans, fera bella retractat,
 Hic est (quanquam illi penus undique turgida ructet)
 Qui populo durus, potumque cibumque roganti
 Perneget annonam, cellasque atque horrea claudit,
 Lethifera indicens misera ieiunia plebi.

Denegatio sa-
 nae doctrinae.

7 Fraudulenti vasa
 pessima sunt: ipse e-
 nim cogitationes cō-
 cinnavit ad perdēdos
 mites in sermone
 mendacij, cum lo-
 queretur pauper iudi-
 cium.

7 Heu quàm triste sonat sceleratis facta sagittis
 Theca viri fraudes vibrantis ab ore dolosque!
 Non hac tela chalybs, non ferreus umbo retundet,
 Non lorica trilix, clypei-ve decemplicis orbis:
 Namque improuiso non obseruabilis ictu
 Corda incauta ferit cautus iaculator, & imis
 Non intellectum vulnus pulmonibus abdit.
 Sternuntur mites animi, mansuetaque passim
 Pectora, mendacis linguae confossa veruto:

8 Princeps verò, ea
 quae digna sunt prin-
 cipe cogitabit, & ipse
 superduces stabit.

Atque adeò hæc audet, terras radiante per omnes
 Iustitia, & regnante Deo, qui paupere quamuis
 Venerit huc cultu, vilique abiectus amictu,
 Imperium tamen ille tenet, semperque tenebit
 Supra omnes magnus reges, & iura beatis
 Sancta dabit populis, & principe digna loquetur
 Magnanimo, quæ nulla sequens aboleuerit atas.

9 Mulieres opulenta
 surgite, & audite vo-
 cem meam: filia con-
 fidentes percipite au-
 ribus eloquiū meum.

9 Ad vocem hanc, vos o matresq; nurusque superbae,
 Vos o præstanti fidentes dote puella,
 Surgere oportuerat, meque exaudire vocantem:
 Sed quia consiliis præbere salubribus aures
 Abnuitis, iam nunc haud mollia fata ferenti
 Credite, & inuita mentem his aduertite dictis.

Ad ciuitates
 Israël hunc
 sermonem
 quidam refe-
 runt.

10 Post dies enim &
 annum vos cōturba-
 bimini confidentes:
 cōsummata est enim
 vindemia, collectio
 ultra non veniet.

10 O semper rebus nimium sublata secundis,
 Instabilique tuæ sortis confise sereno
 Hebrae infelix, spem pone, & inania vota,
 Nec tibi perpetuam demens promitte quietem:
 Hora citis instat calo delapsa quadrigis,
 Noctem hyememque ferens, tempestatemque sonoram,
 Qua concussi animi turbatæque corda fatiscunt.
 Vltima iam vobis spumat vindemia, matres
 Isacides; frustra venturo dolia baccho,
 O nymphae, nymphae Hebraides rimosæ picatis:
 Ne mihi, ne quaeso posthac vindemitor vllas
 Collibus his speret, damnatis collibus vnas
 Colligere, aut domitis mustum extorquere racemis.

11 Obstupescite opu-
 lenta, conturbamini
 confidentes: exiite
 vos, & confundimi-
 ni, accingite lumbos
 vestros.

11 Flete nurus, vestras abreptum protinus iri
 Diuitias, vobis, quæ fastum animosque superbos
 Tanquam perpetuò mansura inflare solebant.

Flete

Flete nurns, miseris nudatâque pectora palmis
Plangite, cuncta breui sors inuida turbine vertet.

¹² Vellite praduro plangentes ungue papillas;
Nam nihil ex patria vobis regione relictum est,
Vitisfera regione, & amabilibus palmetis,
Quam desiderium serum & crudele, nec villo
Quamlibet anno so seclî solabile tractu.

¹³ Namque tuum, Iudæa, solum quod mille iuuenis,
Mille modo felix populus proscindit aratris,
Non frustra credens letis sua semina sulcis,
Heu subito densi complebunt undique sentes,
Spinæq; vepræque, & vulnifici paliuri.

Quod si non aliam promittunt fata beatis
Electisque agris faciem, quos sapius ipse
Præsens incoluit Dominus; quanta urbibus illis
Quam metuenda manent diuini exempla furoris,
Quæ, quid sera vehat venturi temporis hora
Secura nimium, tantum præsentia spectant!
Exercetq; leues choreas, nec sanius ipsis
Ogygiis furiunt repetita per orgia bacchis!

¹⁴ Ergo prophanata Dominus migrabit ab ade,
Sacra, suosque ferens toties irrisus honores;
Desertoque foro, & populosa mœnibus urbis,
Quam coluisse prius terris magis omnibus vnâ
Fertur, ad ignotas longè se transferet oras.

Vt verò semel ipse adytis excesserit, ingens
Se subito offundet templi penetrabilibus horror,
Noxque caput ferale nigris adoperta tenebris,
Terrificum latè inducet super omnia peplum,
Turræque sacræque specus, atque antra profunda
Horribili inuoluet nebula, fumoque perenni.

At prata hæc, hæc prata, has herbi feras conualles
Maiori toties tonsas, totiesque minori
De gregibus lectis pecori, petulantis onagri
Vngula dura teret, nec pascua nota reductus
Grex repetet; donec celo demissus ab alto
Spiritus arcana terras afflauerit aura,
Multiplicique auctum factu renouauerit orbem.

Nam tum tempus erit, cum verticibus frondosis
Protendens frontem latè Carmelus honoram,
In saltus humiles subito mutatus abibit.

¹⁶ Et tamen has saltus, hæc sola & deuia lustra
Iuris sanctus amar, verique incana repertrix

Instituta,

12 Super hubera plā-
gite, super regione
desiderabili, super vi-
nea fertili.

13 Super humū po-
puli mei spinæ & ve-
pres ascendent: quā-
tò magis super om-
nes domos gaudij ci-
uitatis exultantis.

14 Domus enim di-
missa est, multitudo
urbis relicta est, tene-
bræ & palpato factæ:
sunt super speluncas
vsque in æternum,
Gaudium onagrorū
pascua gregum,

15 Donec effundatur
super nos spiritus de-
excelsi: & erit desertū
in charmel: & char-
mel in saltum repu-
tabitur.

16 Et habitabit in so-
litudine iudicium, &
iustitia in charmel fe-
debit.

Vocatio Gen-
tium per pro-
pagationem
legis euange-
licæ.
Ceremonia-
rum Mosaicarum
finitis &
interitus.

Iustitia, aeternum stabilita sede tenebunt.

17 Et erit opus iustitiae pax, & cultus iustitiae silentium, & securitas usque in sempiternum.

18 Et sedebit populus meus in pulchritudine pacis, & in tabernaculis fiduciae, & in requie opulenta.

19 Grando autem in descensione saltus, & humiliatione ciuitas humiliabitur.

20 Beati qui se minatis super omnes aquas immittentes pedem bouis atque asini.

Cap. 33.

1 Vae qui praedaris, nonne & ipse praedaberis? Et qui spernis, nonne & ipse sperneris? Cum consummaueris depraedationem, depraedaberis: & cum fatigatus defeceris contemneris, contemneris.

2 Domine, miserere nostri: te enim expectauimus, esto brachium nostrum in mane, & salus nostra in tempore tribulationis.

3 A voce angeli fugerunt populi, & ab exaltatione tua dispersae sunt gentes.

17 Ponè aderunt comites, pax aurea, munus opusque Iustitiae, pacisque soror, secunda futuri Letaque, animi solamen dulce remissi.

18 His meus hic populus felix in saltibus auum Transiget innocua per tuta silentia vita, Pace fruens, quam nulla dies, nulla auferet atas, Nulla interuertet tempestas, nulla laceffet Sors mala; quippe cui solidas in pectora vires Sufficiet generosa fides, arx sola sereni Inconcuissam animi pollens seruare quietem.

19 Qui verò hos extra saltus tentoria figent Urbis clamorosa foralitigiosa secuti, Obruet ira Dei, lapidosos grandinis imbres Sulphureosque pluens ruptis è nubibus ignes, Urbs ciuesque cadent, magna insignique ruina Prostrati.

20 sed vos o terque quaterque beati Agricoltæ, hoc ipso Iudæ de semine nati, Qui patrios vetiti vestro proscindere sulcos Vomere, postea alijs seritis sub solibus arua, Seminæque irriguis non irrita creditis agris! Nam vestro veniet seges haud ingrata labore, Quæ bouis atque asini quondam pede trita sonante, Horrea congestis frugum cumulabit aceruis.

1 At tu, qui spoliis prædæque incedis onustus Sanguinea, caloque fremens terrisque minaris, Humani generis prædo, certissimus hostis, Diuûm hominûmque feras cõtemptor, pone superbos, Dum licet, ore animoque sonos. non semper eodem Stat fortuna loco: cui Sol oriensq; cadensque Non satis ad prædam patuit, cui nulla rapina Non placuit, cui iura fuit legesque fidemque, Quæq; homines ducunt sanctissima, frangere ludus; Hostibus ecce tuis rapieris præda vicissim, Ereptosque gemes merito calcatus honores.

2 Siceat o genitor, rata sunt quaecumque precamur, Et populi miserere tui non digna ferentis: Nam te expectamus, te solum in vota vocamus; Maturam pater omnipotens in rebus egenis Affer opem, clypeoque tuæ nos protege dextra.

3 Audimur: caelo Deus annuit almus ab alto, Increpuitque suos hostes, fugere phalanges Attonita, postquam caelo vox missa tonante

Perculis

Synagogam Iudaicam intelligit, quod & aptissime in hæreticos & eorum receptacula quadrabit. Apostrophe ad Apostolos & prædicatores verbi Dei

Cap. 33. Inuehitur in hostem generis humani sub persona Sennacheribi,

Precatio cum fiducia.

Perculit horribili salientia corda timore:

*Tu verò Pater apparens in nube corusca,
Ut semel armatam exeruisti fulmine dextram,
Deleta gentes, debellati que tyranni,
Splendida, quid vindex possis, exempla dedere.*

*⁴ Quis spolia & prædas, & mixta cadauera prædis
Enumeret? quis opes funesta per arua repertas?
Non vicina urbes, non rura propinqua legendo
Sufficient, deerunt condendis horrea gazis:
Sic anni certo labentis fidere, fusca*

*Incola Cyrenes, Syriaq; feracis arator,
Seruitiis ad opus nola crepitante coactis,
Propositaque in eos pœna qui iussa recusant,
Colligit Austrino delatos turbine bruchos,
Dirum animal morsuque necâs quodcunque virescit.*

*⁵ Hæc Deus attonitis miracula gentibus edit,
Venturisque olim memoranda nepotibus edet,
Ille Deus, Deus ille cui famulatur olympus,
Magnaque se magni substernit regia celi.
Ille Sionæi lustrabit verticis arcem,
Nequitiiisque suis immunditiisque piatam,
Iamque nihil prisca redolentem sordis, inibit,
Præsenti que suo firmabit numine semper.*

*⁶ Ter felix, illa qui tempestate superstes,
Aurea principe te iam sæcla redisse videbit:
Namque ubi vis, & fraus, & lis regnare solebant,
Fas & ius, constansque fides, & conscia recti
Simplicitas, pulsa imperium impietate tenebunt.
Diuitiis tum nullus honos, aut gloria partus,
Non spes, aut labor, aut infelix cura parandis:
Sola erit in pretio sapientia, sola (repositi
Instar thesauri, quem centum clauibus arca
Ob signata tenet) sancto munita timore
Pectoris arcani solido seruabitur ære.*

*⁷ Currite promissa properato sidere luces,
Tristiâque irato depellite nubila celo.
Quis scit an Assyrius nobiscum legibus aquis
Conueniat? suaque hinc abiens vltro arma remittat?
Non ita: nam missi non mitia verba reportant
Exploratores, legati eadem ore frementes
Significant, multoque probant sua nuntia fletu:*

*⁸ Vidimus ô ciues, truculentum vidimus hostem,
Contulimusque simul, si fœdera forte coirent,*

4 Et congregabuntur spolia vestra sicut colligitur bruchus, velut cum fossæ plenæ fuerint de eo.

5 Magnificatus est Dominus, quoniam habitauit in excelsis: impleuit Sion iudicio & iustitia.

6 Et erit fides in temporibus tuis: diuitiæ salutis sapientia & sciëntia: timor Domini ipse est thesaurus eius.

7 Ecce, videntes clamabunt foris, angeli pacis amarè flebunt.

8 Dissipatæ sunt viæ, cessauit transiens per semitam, irritum factum est pactum, proiecit ciuitates, non reputauit homines.

Imitatio siue
pianoris,
eorumque le-
gati ab exer-
citu Sênache-
ribi redeuntes
renunciabât.

S

Tem-

Tempore pacta breui, veniam pacemque precati,
Sed frustra: ne quaso datas inquirete leges.

Hæc Deus, hæc in eos potius Deus omina vertat.

Tantum aliquam si spem pactis habuistis in istis,

Ponite, nulla manent hosti iam fœdera vobis.

Sed nec longinquo tempus terrore moueri.

Quidquid agri nostris præ tenditur undique muris,

Victor habet, squallent herbis obducta, sitique

Strata, nec vlla hominum aut pecorū vestigia seruāt.

Non sese obiectis defendunt molibus vrbes,

Non armis homines, passim cadit obuia turba,

Et longa pace imbelles sternuntur agrestes.

Ne-ue esset tanti regio expers vlla furoris,

Ipsæ animus meminisse horret, farique recusat,

Non vno totum effudit simul agmine bellum,

Sed flammam & eadem partes diuisit in omnes.

Arma aciemq; trucem (nam quorsum cogeret agmen,

Contraheretque vagas nullo obsistente cohortes?)

Impunè huc illuc diducto milite laxans.

Summa hæc: occidimus, simul & patria occidit ipsa,

Patria sacrorum præses, regumque ducumque

Et vatū genitrix: Libani palmeta tepentis

Muta metu reticent, solitum nec pastor in illis

Nec recitat carmen pinu frondator ab alta.

Iam plaga, quæ Lyddam Ioppeng, interiacet omnis

Littoream, felix campo Saronia tellus,

Squallet inops pecudum, nullisque habitata colonis,

Ardet ager diues quondam tuus Ogge tricorpor,

Et pinguem Basani sonipes hostilis aristam

Concutit, incassum plorat sua damna colonus.

Ipsæ etiam scabris nequicquam rupibus hærens

Carmelus, siluisque super densissimus hirtis,

Omnia scrutanti iam dudum peruisus hosti

Ludibrio prædeq; datur, iam proxima fumant

Tecta, suburbanâsq; vorant incendia villas.

Quid superest, nisi mox admotas mœnibus vrbis

Collucere faces videamus, & ardua telis

Pinnarum missisq; peti fastigia pilis?

Hæc illi ingeminant, mussat rex, plebsq; patrèsque

Attoniti: Deus interea sua numina posci,

Sèque vnum aduersus manifesta pericla vocari

Iam dudum cernens, vltro succurrere gaudet:

Nulla mora in me, inquit: veniã, surgamq; repenti,

Atque

9 Luxit & elanguit
terra: confusus est Li-
banus, & obsurdit:
& factus est Saron fi-
cut desertum: & con-
cussa est Basan, &
Carmelus.

10 Nunc cõsurgam,
dicit Dominus, nunc
exaltabor, nunc sub-
leuabor.

Atque omnes super excellens, atque altior ibo;

¹¹ Nequicquam vanos elata mente furores
Concipitis, leuior fumo stipulæq; fauilla,
In cinerem vester motus irrisus abibit:

¹² Et vos hoc vno congestos aggere fontes
Amburet magni celestis flamma Tonantis.
Non aliter spinas, & stirpes fertilis horti
Reyculas, calido seruat fomenta camino
Villicus vrendas ad prima frigora brumæ.

¹³ Percipite hæc animis miracula, quotquot ab isto
Axe procul, soles altos, alia astra videtis,
Vosque o finitimi mentes aduertite vestras,
Et quis sim, propiusque meas perpendite vires.

¹⁴ Omnibus en gelidus subita formidine sanguis
Obrigit, quoscunque Sion habet alta colonas
O fores veræ virtutis, & ore doloso
Compositoque scelus fæta pietate togentes,
Omnibus en subitis saliere tremoribus artus.

Nam quis ab inferno vomitos craterè vapores,
Sulfureosq; æstus, pascentisque omnia flammæ,
Quis vestrum æternis alios ardoribus ignes,
Frigidus insiliat, nudusque incendia calcet?

¹⁵ Ille animi viuet securus, & vndique tutus;
Siue tonet cælum, seu fulminet, ille rogales
Ad flammæ, Erebiq; minas pallere negabit,
Qui solido veræ virtutis robore sanctum
Munitus pectus, ius fasq; affixus & hærens
Amittit nusquam, verisq; assuescere gaudet,
Indomitus contra pretium, fraudemque clienti
Nescius incauto venali innectere lingua;

Quisque sinu excusso manibusque ad munera clausis,
Non oculis cadem, non sustinet auribus vllum
Flagitium, nedum assensu nutuque probare:

¹⁶ Scilicet ille insons & crimine purus ab omni,
Celsa petet, liberque alias euadet ad auras,
Turrigerasq; arces, sublimique aggere septas,
Quas nulla iactu poterunt superare sagittæ.

Non ibi panificam felix negat area frugem,
Nec potum saliens viuis è fontibus vnda:

¹⁷ Hæc etiam Deus ipse Deus, rexq; optimus idem
Regna colit, cernitque suos, & cernitur illis
Conspicuis, solioque sedens pulcherrimus aureo,
Vnde humiles cali labentis despicit orbis.

11 Concipietis ardorem, parietis stipulæ: spiritus vester vt ignis vorabit vos.

12 Et erunt populi quasi de incendio cinis, spinæ congregatæ igni comburentur.

13 Audite qui longè estis, quæ fecerim, & cognoscite vicini similitudinem meam.

14 Conterriti sunt in Sion peccatores, possedit tremor hypocritas, quis poterit habitare de vobis cū igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?

15 Qui ambulat in iustitiis, & loquitur veritatem, qui proicit auaritiã ex cæciliã, & excutit manus suas ab omni munere, qui obturat aures suas ne audiat sanguinem, & claudit oculos suos ne videat malum:

16 Iste in excelsis habitabit: munimenta saxorum sublimitas eius: panis ei datus est, aquæ eius fideles sunt.

17 Regem in decore suo videbunt oculi eius, cernent terram de longe.

Eius & præmia innocentiæ, pietatis, & integritatis.

Panem & aquas diuus Hieron. interpretatur scripturas, quæ nisi magno cū tremore ac timore sunt tractandæ.

18 Cor tuum meditari-
tabitur timorem: vbi
est literatus? vbi legis
verba ponderans? vbi
doctor paruulorum?

19 Populum impru-
dentem non videbis,
populum alti sermo-
nis: ita vt non possis
intelligere disertitu-
dinem linguae eius, in
quo nulla est sapiētia.

20 Respice Sion ci-
uitatem solennitatis
nostrae: oculi tui vide-
bunt Ierusalem habi-
tationem opulentam,
tabernaculum quod
nequaquam transfer-
ri poterit: nec aufer-
rentur clauis eius in
sempiternum, & om-
nes funiculi eius non
rumpentur.

18 *Hic, quae abstrusa prius fuerant, longēque remota,
Clara liquent. Tu parce tamen, qui mystica nosse
Sacra cupis, propius calum alite tangere sensu,
Parce altum sapere, & quo fas pertingere nulli,
Audax velle sequi, & pelagus tentare profundum
Puppe putri, melius si velificante timore
Tua legas, breuia & cautes horrescere cautus,
Turba virūm quibus impegit non parua sophorum,
Impingitque frequens, confidere viribus ausi
Quisque suis, celōque ducem non poscere ab alto.*

*I nunc, & sciolos istos, barbāque togāque
Et solo tumidos titulo mirare magistrōs.
Num tibi vaniloquūm subsellia Rabbīnorum,
Scribarūmque scholae arrident? quid? inepta sophistae
Garrulitas, legum trutinantis verba, merōsque
Interuertentis sensus, placet? Anne palatum
Putidus ille tuum ructus iuuat? haud ita, credo,
Ambrosia succis assuetum, & nectare pasci,
Imò te potius tam frigida somnia dudum
Fastidire reor, totōque auertere vultu:
Ne ringens videas, intabescasq; videndo.
Ignauum sine corde pecus, sine fronte proteruum
Propudium, nullo loca prima tenere pudore.
Et rude facunda vulgus suspendere lingua,
Magnāque plausibili, sed inania voce crepare.
Non etenim his virtus, non est sapientia cordi,
Sed dolus arte latens, malesuadāque copia fandi,
Flexanimaq; strophae, demulcentēsq; figurae.*

20 *Ergo Sirenum scopulos, horrendāque saxa
Effuge, quae multis etiam nunc ossibus albent;
Nec tuus ante aliqua lentetur remus in vnda,
Quā tibi perpetuo detur contingere cursu
Littora pacata toties optata Sionis,
Huc oculos, huc tende aciem, ne parce lacertis,
Huc remos, huc vela Notis per mitte secundis.
Hic tibi finis erit, requies hic certa laborum,
Hic aris vota exstructis solennia solues;
Quem socij morem sacrorum, eademque manentes
Olim seruabunt in relligione nepotes.
Hic magnam Solymae, qua non opulentior, urbem,
Nec dono pacis securior vlla beata,
Ter felix (sua quippe cui fortuna peracta
Iam stabit) gentique tuae data mœnia cernes,*

Supre-

Supremique manu tentoria fixa Tonantis,
 Quæ vis nullaloco, non ferrea transferet et as.
 Non si orbis totus socio coniuret Auerno,
 Abrumpet funes, clauosq; adamante refixos.

Ecclesiam intelligit, aduersus quam non præualebunt portæ inferorum.

²¹ Nam si ulli Deus unquam operi seseq; suumq;
 Ingenium addixit solers, artemque magistram,
 Hic, quàm magnificus, quàm non imitabilis ulli
 Præcipue exhibuit, magnam hanc cum cõderet urbem,
 Augusti sedem imperij per sæcla futuram.

Quoque magis secura minas contemnat & astus,
 Præcipiti Deus armipotens pomæria fossa
 Cinxit, & ingentes fluiuos, latèque patentes,
 Perpetuásque induxit aquas, riuosque perennes.
 Hos amnes, hæc stagna sacros obeuntia muros,
 Nequicquam hostiles inimica classe cohortes
 Tentabunt, non si ipse suam pirata triremem
 Tartareus, stygy eductam naualibus Orci,
 Promoueat, remis, armis, velisque potentem:

Quippe suæ Deus omnipotens pro mænibus arcis
 Excubat, haud illam externis seruire tyrannis
 Passurus, quam iure suam sibi vindicat, ipse

²² Legifer est etenim noster, iudexque supremus,
 Et rex, & nostri dux agminis inclytus idem,
 Et præses nostra & custos vindexque salutis.

²³ At tibi crudelis prædo, classique tuorum
 Maturum exitium tempestas fæda minatur.
 Tempus erit quassa laceros quum puppe rudentes
 Horrisono pelagi calique fragore tonantis
 In mare turbo rapax, malumque, auulsaq; malo
 Vela feret, iam nec vento, nec idonea signo.
 Tum laxa laterum compage carina fatiscens,
 Totius orbis opes, & abactas vndique prædas
 Euomet, abripiant, ducentq; ferentq; viritim,
 Diuisam quicumque volent sine sanguine prædam.

Nec verò magno constabit Marte rapina,
 Loripedes claudique ferent, nulloque labore,

²⁴ Et nullo fessos sese sudore querentur:

Cap. 34.

Præcedit capite priorum ecclesiam ad spem felicitatis æternæ excitauit, hoc verò, sempiterni iudicij comminatione perterriti.

Nec crimen raptoris erit, sed vindicis ira,
 Vltia suos hominum dextris (vt saepe) dolores.

¹ Parua sed hæc, si quæ supremi exempla furoris
 Afferet effæto tempestas vltima mundo

Olim, iam conferre iuuet. Concedite gentes

Huc omnes, populique aures aduertite vestras:

S 3

Namque

²¹ Quia solummodo ibi magnificus est Dominus noster: locus fluuioꝝ riuu latissimi & patentes: nõ transibit per eum nauis remigum, neque triaris magna transgreditur eum.

²² Dominus enim iudex noster, Dominus legifer noster, Dominus rex noster: ipse saluabit nos.

²³ Laxari sunt funiculi tui, sed non præualebunt: sic erit malus tuus, vt dilatare signum non queas. Tunc diuidetur spolia prædaram multarum: claudi diripient rapinam.

²⁴ Nec dicet vicinus, Elangui, populus qui habitat in ea, aufertur ab eo iniquitas.

Cap. 34.

¹ Accedite Gentes, & audite, & populi attendite: audiat terra & plenitudo eius, orbis, & omne germen eius.

Namque ego, terrificus vobis ego (credite) vates
 Et natis vestris, & qui nascentur ab illis
 Vera cano. Audiat hæc, hæc audiat omnis ab ortu
 Occasusque patens, rerum plenissima tellus,
 Audiat, & si qua est humani nescia cultus,
 Ora pigro damnata gelu, damnata calore.
 Exitum ferale cano, quo quidquid in orbe
 Gignitur immenso, stirpes, animalia, planta,
 Reptilium volucrumque genus, populique natantum,
 Quæque carent anima, sensuque & præpete motu,
 Saxa, aurum, æs, ferrum, totius denique moles
 Vasta operis magni, flammis correpta sonoris
 Ardebit, fatisque datos considet in ignes.

2 Quia indignatio
 Domini super omnes
 gentes, & furor super
 vniuersam militiam
 eorum: interfecit eos,
 & dedit eos in occi-
 sionem.

Nec verò Assyrij tantum Ammonij-ve rebelles,
 Aut aliqua ingratis de tot regionibus ora,
 Indignante Dei magni carpetur ab ira,
 Sed furor hic, toti furor exitiabilis orbi,
 Omnes absumet populos, & cuncta creata,
 Ornatumque adimet rebus, formamque situmque.

Ipsè manu valida quatiens hastile cruentum,
 Innumera attano passim edet funera mundo,
 Per mare, per terras, spatioisque aëris æquor,
 Viuum omne, & vegetum nullo discrimine delens.

3 Interfecti eorum
 proicientur, & de ca-
 daueribus eorum, ad-
 scendet fetor: tabe-
 scent mōtes à sangui-
 ne eorum.

Non capient celsi proiecta cadauera montes,
 Non valles campique putres, odor aëre fædus
 Corrupto, taboque artus sanieque fluentes
 Inficient latè calum, tractusque supernos.

4 Et tabescet omnis
 militia cælorum, &
 complicabuntur sicut
 liber cæli: & omnis
 militia eorum defluet
 sicut defluit folium
 de vinea & de ficu.

Ipsi etiam calorū orbes in funere mundi
 Immutabuntur, cyclique nouemplicis ingens
 Ille sinus, seriè que decens, qua ducitur annus,
 Perpetuusque, cui in sese reuolubilis ordo
 Sistetur, textumque micans, quod nomine cali
 Signant mortales, contracti codicis in star,
 Aut reuoluta in se fesso lectore papyri,
 Iam nullis clarum pictumque pteabitur astris.

Quippe cadent moto fulgentes æthere stella,
 Quam multa ficus concusso stipite frondes,
 Cum maturat hyems, Aquilonis & ingruit horror,
 Et foliis, spoliat vinea tenella caducis.

5 Quoniam inebria-
 tus est in cælo gladius
 meus: ecce super Idu-
 mæam descendet, &
 super populum inter-
 fectionis meæ ad iu-
 dicium.

Scilicet ille meus saturatus sanguine mucro,
 Aetheris ad calos vsque, & supera ardua magni
 Pertinget, rursusque imas descendet in oras,
 Quæ campos terrena pigros diffundit * Idume,

Iisdem penè
 verbis Apo-
 cal. cap. sexto:
 Receffit calū
 sicut liber
 inuolutus.

* Per Idu-
 mæ os intelli-
 ge hostes Ec-
 clesie, qui eam
 oppugnant.

Cuncta

*Cuncta metens, prima iam dudum ab origine mundi,
Iudicio damnata meo, denotaque morti.*

*6 Eheu iam gladium videor spectare cruentum,
Numinis irati gladium, per viscera regum,
Per populorum adipem adigi discrimine nullo,
Iamque hebetem stantis glacie torpere cruoris.
Sic, ubi regifico conuiuia splendida luxu,
Aut sacra solenni redeuntia luce parantur,
Funditur ater ubique cruor, passimque per aras
Agni hircique cadunt pingues, ouiumque mariti,
Ipseque, cæde stupens tanta cultrarius horret.*

*Non etenim maiore unquam vindicta cruore
Vlla stetit, multa-ve magis cum strage litatum
Vltori Domino, mors ardua mænia Bosra,
Mors, atroxque, lues populosam sternet Idumen.*

*7 Non hanc vulnificum media inter tempora telum
Monoceros crispans, quo non crudelior vlla
Aut pedibus melior, siluis stabulatur Eois
Bellua, non tauri frons formidanda minacis,
Quæque alia insigni feritate & robore pollent
Monstra, luem euadent, armatus, inermis, eodem
Fortis an imbellis, nil refert, occidet ictu.*

*Ebria casorum stagnabit sanguine tellus,
Viscerèque effuso, & sparsis pauitabitur extis.
8 Scilicet illa dies absumet tempora, rebusque
Afferet exitium mortalibus, vltima mundo
Exortura, eademque vltices numinis iras
Per populos omnes largo effusura cruore.*

*Hic quoque fatalis Solymis, celsaque Sioni
Annus erit: venient, nec longa morabitur atas,
Tempora, cum dignas expendet crimine pœnas,
Nunc licet illa caput cunctas super efferat vrbes,
Iudicio damnata rato, fluiosque repente
Ire suos pice torrentes, & sulphure vino,
Mutari sola, tellurèque bitumine lento,
Quid magis? & flammis misceri cuncta stupebit,
9 Quas immortalis & rediuino fomite pastas,
Nulla dies unquam extinetas, nox nulla videbit.
Turbidus hinc, piceaque niger caligine fumus,
Ascendet calum, tenebrisque inuoluet opacis.*

*Ipsam autem versam in cineres, penitusque iacètem,
Et miserè desolatam, nullisque futuri
Instaurandam aui spatium, vestigia nulla,*

Semita

Figuratè per
hircos & arie-
tes, homines
luxu & deli-
cis perditos
intelligimus.

Bosra inter-
pretatur sce-
leratorum ho-
stium turba,
& impiorum
foedam collu-
uionem.
Per vnicor-
nes, Reges &
tyrannos im-
potentes in-
telligit. Nota
est vnicornis
bellua ferita-
tis indomitæ,
quam viam
capi negant.
Vide Plinium
nat. hist. cap.
21. lib. 8.

6 Gladius Domini
repletus est sanguine,
incrassatus est adipe,
de sanguine agnorum
& hircorum, de san-
guine medullatorum
arietum: victima enim
Domini in Bosra; &
interfectio magna in
terra Edom.

7 Et descendent vni-
cornes cum eis, & tau-
ri cum potentibus: in-
ebriabitur terra eorum
sanguine, & humus
eorum adipe pingui.

8 Quia dies ultionis
Domini, annus re-
tributionum iudicij
Sion.

9 Et conuertentur tor-
rentes eius in picem,
& humus eius in sul-
phur: Et erit terra eius
in picem ardentem.
10 Nocte & die non
extinguetur, in sem-
piternum ascendet fu-
mus eius: a generatio-
ne in generationem
desolabitur, in secula
seculorum non erit
transiens per eam.

11 Et possidebunt il-
lam onocrotalus, &
hericius: & ibis, & cor-
uus habitabunt in ea:
& extendetur super
eam mensura, vt re-
digatur ad nihilum,
& perpendiculum in
desolationem.

12 Nobiles eius non
erunt ibi: regem po-
tius inuocabunt, &
omnes principes eius
erunt in nihilum.

13 Et orientur in do-
mibus eius spinæ &
vrtica, & palturus in
munitionibus eius: &
erit cubile draconum,
& pascua struthionū.

14 Et occurrent dæ-
monia, onocætaurus,
& pilosus clamabit al-
ter ad alterum: ibi cu-
bavit lamia, & inue-
nit sibi requiem.

15 Ibi habuit foueam
ericius, & enutrit
catulos, & circūfodit
& fouit in vmbra
eius: illic congregati
sunt milui alter ad al-
terum.

*Semita nulla teret, " sed cultus omnis egentem
Creber Onocrotalus, terrôrque draconibus Ibis,
Et niger in fausto qui voces omine gluit
Coruus, & Hericius tergum spinosus acutum,
Missilibusq; Histrix telis armata tenebunt,
Multaque monstra alia humanas terrentia mentes:
Illud enim aterna fixum quod lege tenetur
Et pensum in lances diuino examine fatum,
Nulla potest hominum vis vertere, nulla deorum:
Huc vergat cades, huc vasta rapina necesse est.*

*12 Felices tamen omnipotens quos rector Olympi
Semper adoratus, casta prece saepe vocatus,
Secretos vulgò proceres his eximet oris,
Fatalem ante diem, & casum miserabilis vrbis:
Cætera turba virum, summis à regibus imæ
Ad plebis facem indiscreta clade peribunt,
Ad nihilum tanta de maiestate reducti.*

*13 Par quoque cum dominis fatū sua tecta sequetur,
Nunc ebore atque auro, & signis operosa superbis:
At tunc aqua solo, subuersaque funditus, acres
Vrtica opplebunt, spinæq; & carduus asper,
Aëriâsque arces, & propugnacula calo
Aemula, curuatique humeris imposta popelli,
Cerulei sibi seruabunt in sessa dracones.
His etiam penna bifidoque celerrimus vngue
Struthio, semiauis, noua pascua quæret in oris,
Aethiopum facile oblitus calique paterni,
Et mansura sibi, subolique cubilia ponet.*

*14 Quid? quod saepe locis dæmon nocturnus in illis
Terribili occurret specie? seseq; figuras
Induet in varias, horrentiaque ora ferarum?
Fiet enim mixtus tardo Centaurus a sello,
Monstrum horrendū, ingēs, nulliq; sine omine visum,
Aut Satyrus raucum stridebit, & omnia, vocem,
Ora, pilos, barbam, crinēque, pedēque salaci
Per similis Fauno, socios clamore vocabit.
Hi responsabunt, latè nemus omne sonabit,
Et caligantes nigra formidine luci.*

*Quinetiam Lamia hoc damnato plurima saltu,
Visa suo recubans requiem indulgere labori,
Cuniarum terror Lamia, & quàm mandere fama est
Sopite raptos nutricis ab ubere fætus.*

15 Quid loquar Hericias paruis syluestria natis

Fossuros

Hericius ab-
hærendo di-
ctus.

Per mensurā
& perpendi-
culum meta-
phoricè signi-
ficat senten-
tiam Domini
fixam & cæ-
tam.

Fossuros spelea suis? miluósque rapaces,
Hic ubi nunc patribus stat curia celsa vocatis
Tunc congesturos? proliisque cupidine dulci,
Oua fabrè factis posituros laeua nidis?

¹⁶ Euenient verus quæ proloquor omina vates,
Euenient, nec apex horum quæ scribimus olim,
Non ratus ullus erit: eadem cecinere priores
Fatidici heroës. priscos euoluite libros,

Carminaque ætherei calamo conscripta Tonantis;
¹⁷ Non alia à sacris oracula vatibus edo,
Os animùmque Deo plenus; mihi muneris huius,
Quodcunque est, auctor Deus est: idem ille scelestus
Inferet hæc rerum portenta minacia terris,
Quas teneant certa mensuræ lege, colantque
Sortitio, stirpemque suam per sæcla propagent.

Cap. 35. Hæc rerum series, & ineluctabilis ordo
Fatorum, ut quæ nunc caput exerit ora beatum,
Vrbibus & vicis bacchoque oleoque redundet,
Illius & rumpant ingentes horrea messes;
Pinguis humus, pecori tellus aptissima habendo,
In steriles subito mutata rigescat arenas,
Nec pecori, nec vino habiles, nec frugibus aptas.

¹ At contra, nã sic diuùm Pater, atque hominũ Rex
Decreuit, primos orbis dum conderet axes,
Quæ regio annosis squalloribus obsita, nullos
Vidit adhuc sulcos, nullisque exercita rastris,
Horrida, tristis, inops, ieiuna, imperuia luget,
Accipiet latos mutato sidere vultus.

² Iamque repente nouos (dictu mirabile) sese
Induet in flores, conceptaque semina celo
Parturiet laxata sinus, & suaue rubentis
More rose baccamque rubro findentis hiatu,
Luteolósque apices, sensim prodentis, & intus
Quod latet in densis radiosum frondibus aurum,
Exultabunda & ridens sua germina pandet
Omne genus florum: non huic se thurifer æquet,
Halet odoratis Libanus licet vndique plantis,
Non Carmelus apum genitor, Saronque rosarum;
Quidquid habet Libanus, quidquid Carmelus odorũ,
Quidquid Saronis rubicunda rosaria pecti,
Dulce decensq; ferunt, cedent huic omnia fundo:
Nempe illis per sæpe Deus spatiabitur hortis,
Gloria ubi, decus, & rarorum gratia florum est,

I

Et

Mosem intel-
ligunt hic in-
terpretes qui-
dam, & Li-
brũ Domini,
Librum Deu-
teronomij.

Auctoritatem
sibi suoque
vaticinio cõ-
parat.

Redit iterum
ad vocationẽ
Gentium.

¹⁶ Requirit diligẽ-
ter in libro Domini,
& legite: vnum ex eis
non defuit, alter alte-
rũ non quæsiuit. quia
quod ex ore meo pro-
cedit, ille mandauit,
& Spiritus eius ipse
congregauit ea.

¹⁷ Et ipse misit eis
fortem, & manus eius
diuisit eã illis in mẽ-
suram: vsque in æter-
nũ possidebũt eam, in
generatione & gene-
rationem habitabunt
in ea.

Cap. 35.

¹ Lætabitur deferta
& inuia, & exultabit
solitudo, & florebit
quasi lilium.

² Germinans germi-
nabit, & exultabit læ-
tabunda & laudans;
gloria Libani data est
ei, decor Carmeli &
Saron: ipsi videbunt
gloriam Domini, &
decorem Dei nostri.

Et populo coram sese spectante videndum
 Tractandumq; dabit, quantus super ardua celi
 Templa sedens, maria & terras moderatur, & astra.

3 Confortate manus
 dissolutas, & genua
 debilia roborate.

4 Dicitur pufflanimis,
 Confortamini, & no-
 lite timere: ecce Deus
 vester vltionem ad-
 ducet retributionis:
 Deus ipse veniet, &
 saluabit vos.

5 Tunc aperiatur oculi
 caecorum, & aures sur-
 dorum patebunt.

6 Tunc saliet sicut cer-
 uus claudus, & aperta
 erit lingua mutorum:
 quia scissae sunt in de-
 serto aquae, & torretes
 in solitudine.

7 Et quae erat arida,
 erit in stagnum, &
 fitiens in fontes aqua-
 rum. In cubilibus, in
 quibus prius dracones
 habitabant, orietur
 viror calami & iunci.

8 Et erit ibi semita &
 via, & via sancta vo-
 cabitur: non transibit
 per eam pollutus, &
 haec erit vobis directa
 via, ita vt stulti non
 erent per eam.

3 Vos vero Agricola, quibus haec ignaua quotannis

Excolere arua datum est, & inertes frangere glebas,
 Quae forte innatis occurrent, parcite plantis,
 Nec, si stirpe minus valida, ramis-ve laborent
 Inflexis, cura non sit fulcire labantes,
 Sed rigidas aptate sudes, supponite furcas,
 Quarum vi eniti, tandemque adulescere pergant;

4 Tum, si quas abeunte anima, propè perditus humor
 Destituat, properate viri, vitamque fugacem,
 Dum licet, arte manuq; bona reuocate fouendo,
 Donec robusta redeant in pristina vires.

Tempus erit, cum sorte datum sibi visere fundum
 Ipse volet Dominus, (nec longa morabitur illum
 Tempestas) venietque boni patris vnicus heres,
 Inquireretque operas seruorum, & premia cuique
 Pœnaeque ex merito ponet, nōsque optimus idem
 Seruatos, vacuosque metu praestabit ab omni.

5 Ipsius haec autem aduentus certissima sunt
 Signa tibi, cum caeci oculos, lucemque negatam,
 Surdi aures, linguam accipient (noua munera) muti,

6 Et claudus ceruos cursu praeuertet anhelos.
 Scilicet hoc ipso tam fausti Principis ortu,
 Erumpent subiti deserta per arida fontes,
 Et iugatorrentes rapidi praerupta rigabunt,

7 Quique prius nimis sitiebant solibus agri,
 In dulces riuos & mitia stagna liquefcent.
 Iamque vbi serpentes posuere cubilia foeta,
 Squammososq; viam tractu triuere dracones,

8 Ecce viror iunci, calami que beatus odori
 Lata stirpe frutex laetis nascetur in hortis,
 Seque legi cono inuitans, procul expetet vltro:
 Omne nemus (nec enim tum sibila dira timebunt)
 Omnis ager, volucrum cantu resonabit amœno.
 Balantumque greges pascent impune per herbas:

9 Hac quoque securum posito terrore viator
 Carpet iter, neque per dispendia longa, vagosque
 Circuitus, flexusque via procedere tardum
 Aut frustra incassumque queretur abire laborem.
 Haec via erit recto quae tramite ducet euntem,
 Haec via sancta tibi dicetur eritque, nec vlli

Quam mode-
 ratione requi-
 rat Dominus
 a pastoribus
 & ministris
 Ecclesiae suae.

Emphasis in
 verbo, ipse enim
 angelus aut
 quemuis alius
 missurus est,
 sed ipse
 veniet.

Testimoniū
 de aduentu
 Christi lucu-
 lentissimum,
 quod ipse
 Christus ci-
 tat alibi.

Vide de cala-
 mo & iunco
 Plinium nat.
 hist. lib. 22,
 cap. 22.

*Fas illam fuerit pedibus triuisse prophano.
 Non metus ullus erit, non suspicio vlla pericli,
 Nam rapide tigres aberunt, aberuntque leones,
 Visque malarum omnis fraudesque dolique ferarum.
 Felices animi quibus hunc insistere callem
 Deducente Deo dabitur; ¹⁰ nam libera duro
 Colla iugo, tenerasque manus solido ære soluti,
 Ibunt gaudentes, Seruatorumque canoro
 Carmine laudabunt, tandemque ad sancta Sionis
 Mœnia peruenient, comitabitur alite præpes
 Remigio, pura & sinem haud habitura voluptas:
 Mœsities fugiet, fugiet gemitusque dolorque,
 Feraliq; timor vultum ferrugine liuens.*

Hæc de promissionibus futuri sæculi sunt intelligenda.

9 Non erit ibi leo, & mala bestia non ascendet per eam, nec inuenietur ibi: & ambulabunt qui liberati fuerint.

10 Et redempti à Domino, conuertentur, & venient in Sion cum laude; & lætitia sempiterna super caput eorum: gaudium & lætiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.

VATICINIORVM ISAIAE LIBER QVINTVS.



*ORSITAN & Solymis fuerint qua fata
 requiret
 Posteritas, cum mille furens legionibus,
 vrbes*

*Vreret Assyrius Iudeas Sennacheribus.
 Dicam equidem, nec enim tam fortia facta sileri
 Ipse finit Deus, & prohibet pia cura nepotum.
 Adiuet ille meum, qui prestitit ista, laborem.
 Tertius à decimo, regnanti fluxerat annus
 Hefechiæ, quartumque leues duodena per astra
 Ducebant menses, ex quo proauita gerebat
 Sceptra manu, haud ulli veterum virtute secundus,
 Et Solymam iustis frenabat legibus oram:
 Cum grauis incubuit Iudeis viribus hostis
 Sennaribus, totum Euphratem in noua prælia ducens.
 Et iam more ruens torrentis ab imbribus aucti,
 Mille manu captas victor prostrauerat vrbes,
 Cum velut armorum satur, & rem cernere verbis
 Præ se velle ferens, positis longo ordine castris,
 Euerſæ Lachis ad cineres bustumque reseait.
 Colle Lachis surgit modico, quam sede nepotes
 Beniamide Solimis olim posuere propinqua,
 Hinc (nam in conspectu Solomonica templa videbat,
 Dauidicæque arces, eductæque mœnia celo)
 Multa putans, sienosque premens sub corde dolores,*

Hoc loco historia atrox Isaias, ut ostendat quam præfenti ope Dominus eis subueniat, qui tota fide eius auxilio nituntur.

Cap. 36.

Hanc historia habes Regum quarto, cap. 18, 19, & 20.

Lachis ciuitas in tribu Beniamina, Solymis proxima.

Cap. 36.

1 Et factum est: in quartodecimo anno regis Ezechie, adſcendit Sennacherib rex Assyriorum super omnes ciuitates Iudamunitas, & cepit eas.

2 Et misit rex Assyriorum Rabſacen de Lachis in Ierusalem, ad regem Ezechiam in manu graui, & stetit in aqua ductu piscine superioris in via Agri-fullonis.

I 2

Misit